

liter distant a centro, chordæ autem inæquales distant inæqualiter; quod evidens est ex *superimpositionis* principio. Nam chorda æqualis cum æquali chorda semper congruet, nec cum chorda inæquali congruere unquam poterit.

COR. II. In eodem semicirculo vel in semicirculis æqualibus, quo majores sunt vel minores arcus, eo majores vel minores sunt chordæ & centro magis vel minus proxime; centro magis vel minus proxime arcus subtensi.

COR. III. Ducta chorda FM diametro AB parallela intercipit æquales arcus AF, BM. Etenim, cæteris manentibus ut ante, arcus AH = arcui BH, & arcus FH = arcui HM, quare demptis arcubus æqualibus remanet AF = BM. Evidens est eandem esse demonstrationem, si parallela NQ ad oppositas diametri partes jaceat, erit nempe arcus FN = arcui MQ.

COR. IV. Si ponatur rectam NQ motu sibi semper parallelo a centro recedere, donec puncta duo N, Q, coeant in G, chorda NQ abit in *tangentem* quæ nempe circumlum in unico puncto tangit, evidens autem est in hoc etiam casu esse GN = GQ.

COR. V. Ex corollariis præcedentibus patet, qua ratione per tria data puncta circulus describi possit, dummodo tamen puncta illa in eadem recta non jaceant. Agantur rectæ duæ quæ jungant tria puncta data, hæ erunt chordæ circuli quæsiti. Quare